

fusciperetur, servaretque sui gradus honorem, ea tamen lege, ut ex Civitate Siccensi, cui scandalo fuerat, secedere cogeretur.

D. Summa profecto laude ac commendatione digni sunt Africanæ Ecclesiæ Antislites, qui ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam tot Concilia convocarunt; sed numquid alii Orbis Christiani Ecclesiarum Episcopi ad instaurandam Disciplinam Ecclesiasticam pari zelo, & vigilantia pastoralis adlaborarunt?

M. Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ in conservando Disciplinæ Ecclesiasticæ vigore, & in Sanctissimis pro externo Ecclesiæ regimine condendis legibus, Episcopis Africanis in quinto Ecclesiæ sæculo haud inferiores fuerunt. Postquam enim Ecclesiæ Africana oppressa incursione Vandalorum, qui Ariani erant, & anno ccccxxviii. in Africa dominari cœperunt, Concilia convocare non potuit; singulari Divinæ Providentiæ beneficio factum est, ut Ecclesiæ Gallicanæ in quinto sæculo multa celebravit Concilia, quorum saluberrimis decretis, seu Canonibus, Disciplinæ Ecclesiasticæ optime fuit consultum. Hæc Gallicanæ Concilia breviter indicasse sufficiet, quorum plenior notitiam si assequi desideres, adire poteris *Sirmondum*, qui omnia Gallicanæ Concilia collegit, & perdoctis Annotationibus illustravit.

In primis, anno ccccxxx. die xv. mensis Augusti habitum est in Galliis a duodecim Episcopis Concilium *Regense*, seu *Rejense*, gallice *Riez*, quæ est Urbs Episcopalis in Provincia sub Archiepiscopo Aquensi, in quo abrogata, & nulla declarata fuit *Armentarii* Ebredunensis Episcopi ordinatio facta a duobus tantum Episcopis, citra aliorum Provinciæ Episcoporum consensum, ac solum Chorepiscopi titulus *Armentario* concessus est. Octo etiam Canonés in rem Ecclesiasticæ Disciplinæ conditi sunt.

Anno ccccxl. in Gallia Narbonensi coactum est a xvii. Episcopis Concilium *Arauscanum*, gallice *Orange*, quæ est Urbs in Provincia sub Archiepiscopo Arelatensi, in quo statuti sunt Canonés xxx. ad Disciplinam Ecclesiæ spectantes, & a *Sirmondo*, & ab Illustrissimo *Albaspino* Arelatensi Episcopo eruditissimis Notis illustrati.

Anno ccccxli. in Comitatu Venascino habitum est Concilium *Vasense*, seu *Vasionense*, gallice *Vaison*, cujus de Disciplina Ecclesiastica extant Canonés X. quos *Sirmondus*, *Binius*, & *Albaspinus* Notis suis illustrarunt.

Denique, alia Concilia in Galliis ad refarciendam collapsam Ecclesiæ Disciplinam fuerunt celebrata, *Arelatense* videlicet anno cccclii. cujus extant Canonés Lvi. *Andegavense*, anno ccccliii. cujus extant Canonés XII. *Arelatense* alterum anno cccclv. *Turonicum* anno cccclxi. in quo editi sunt Canonés XIII. *Venetium* gallice *Vannes* in Armorica, sive Britannia minori anno cccclxv. in quo confecti sunt XVI. Canonés. Sed de his Conciliis Gallicanis, sicut & de Canonibus, qui in illis conditi sunt, plura legis apud doctissimum *Sirmondum*; nos autem, quibus placet brevitas, huic Colloquio finem imponemus.

COLLOQUIUM V.

De Viris illustribus, qui eruditione & pietate Ecclesiæ in quinto sæculo multum splendoris contulerunt.

D. **E**T si bene multos in quinto Ecclesiæ sæculo floruisse viros doctrina, & pietate conspicuos facile admodum colligere possum ex Historia istius sæculi, quam hactenus accurate descripsisti; optarem tamen ut in hoc Colloquio merita & opera recenses, si non singulorum, saltem eorum præcipue, qui in quinto sæculo mira eruditione Ecclesiam præ cæteris illustrarunt, eamque ab Hæreticorum insultibus egregie vindicarunt.

M. Ineunte quinto sæculo multum splendoris Ecclesiæ contulerunt innumeri propemodum viri undecumque doctissimi, quibus optimo jure Theologia acceptum referre debet quidquid verum, quidquid habet sublime & augustum. Hi sunt quippe, qui de omnibus Christianæ Religionis mysteriis, admota veritatis luce, disseruerunt, qui vocum, ad ea planius explananda, propriam & nativam significationem præfixerunt; qui eorum principia solide firmarunt; omnes consecutiones, quæ ex illis elici possunt, studiose investigarunt, & oppositos errores immensis non minus mole, quam eruditione voluminibus confutarunt. Hi sunt, qui Moralis Christianæ integritatem ea ingenii ubertate, dicendi copia, torque acutissimis sententiis propugnarunt, asseruerunt, vindicarunt, ut eloquentissimorum Oratorum facundiam longo intervallo superasse videantur. Verbo dicam, hi sunt, ex quorum eruditissimis lucubrationibus Ecclesiastici Scriptores in succedenti sæculorum serie suam doctrinam, velut ex purissimo fonte, hauserunt, & ab eorum vestigiis ne latum quidem unguem desciscere maximo sibi semper honoris loco duxerunt.

D. Quinam sunt celebriores Scriptores, qui ineunte quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt?

M. Inter Græcos unus instat omnium est S. Chrysostomus. Inter Latinos vero Principem locum jure ac merito obtinent S. Hieronymus, & S. Augustinus.

D. Vitam horum illustrium Scriptorum, qui in omnium gentium commendatione versantur, rogo te ut breviter describas, & Opera ab ipsis edita ab Apocryphis accurate secernas.

M. Ea, quæ Sanctus Joannes Chrysostomus in Episcopatu gessit, memini me jam in superiori Colloquio attingisse. Quapropter, ne tibi iteratis repetitionibus fastidium ingeram, his in præsentia referendis supersedebo, eaque dumtaxat perstringam, quæ privatam illius vitam spectant, & Opera, quibus universam locupletavit Ecclesiam. *Joannes* itaque, ob aureum eloquentiæ flumen, & admirabilem in dicendo facundiam græce vulgari cognomine *Chrysostomus* dictus; anno trecentesimo quadragesimo septimo natus est Antiochiæ ex Patre dicto *Secundo*, & ex matre

An-

Anthusa. Mortuo Patre, Joannem adhuc juvenem *Anthusa* ipsius mater incredibili sollicitudine educavit, & ad perfectam virtutem provexit. Adolefcens *Joannes* Rhetoricæ sub *Libanio*, & Philosophiæ sub *Andragathio* viris id ætatis in his artibus longe celeberrimis operam navavit. Aliquot annos in Foro versatus est, sed mox ad severioris vitæ genus, & ad Christianam pietatem conversus, totum sese obsequio Ecclesiæ mancipavit, & Sacrarum Scripturarum studio addixit. Dein, a Meletio Episcopo Antiocheno baptizatus, & Lector ordinatus *Joannes*, timens ne Episcopus consecraretur, secessit anno cccclxxiv. in montes Antiochiæ vicinos, ubi per quadriennium, hoc est, usque ad annum cccclxxviii. solitariam vitam duxit, & postea, teste *Palladio* in ejus vita, per biennium in loco secretiori vitam egit Anachoreticam; at cogentibus ejus infirmitatibus, anno cccclxxx. ex Eremito ad natale solum reversus, a Meletio Diacono fuit ordinatus, post mortem Meletii a Flaviano ejus in Sede Antiochena successore ad gradum presbyteri prævectus, in quo gradu per annos duodecim ad populum Antiochenum tanta omnium acclamatione sermones habuit, ut, mortuo *Nestorio* Patriarcha Constantinopolitano, conspirantibus totius Cleri, & fidelium votis in ejus locum suffectus fuerit, quamvis ipse pertinacissima reniteretur modestia, quæ tantum adhibita vi, & Imperiali interposita autoritate superari potuit. Episcopus Constantinopolitanus inauguratus *Joannes Chrysostomus* multa gessit, & gravissima passus est incommoda conspiratione *Eudoxie* Augustæ, *Theophili* Alexandrini, & aliorum Episcoporum, quæ jam a nobis in superioribus Colloquiis relata, hic repetere omnino supervacaneum esset. Reliquit *Joannes Chrysostomus* moriens præclara ingenii sui Monumenta, in primis *Homilias* in omnem ferme libros cum Veteris, tum Novi Testamenti; varios *Sermones* de variis argumentis Moralibus, Doctrinalibus, de Mysteriis, & de Laudibus Sanctorum. Scripsit etiam S. *Joannes Chrysostomus* librum adversus Judæos; alterum adversus Gentiles; contra vitæ Monasticæ oses & vituperatores libros tres; præterea edidit libros sex de Sacerdotio; libros duos de Compunctione Cordis; de Providentiâ Dei libros tres; de Virginitate librum, & aliqua alia Opera Moralia, pluresque Epistolas. *Liturgiam*, quæ extat inter Opera S. *Joannis Chrysostomi*, germanum esse S. illius Doctoris factum affirmant peritiores Catholici Critici. Sed paulo major est difficultas de Epistola ad *Cæsarium* Monachum, quæ S. *Joannis Chrysostomi* nomine insignita est. Hanc siquidem Epistolam sub nomine S. *Chrysostomi* laudat S. *Joannes Damascenus* in calce dissertationis contra *Jacobitas*, *Nicephorus* Constantinopolitanus in Antirrethico contra *Iconomachos*, alique, qui de duabus Christi Domini naturis disputarunt: immo, antiquam ejusdem Epistolæ versionem latinam *Emericus Bigotius*, ex Codice Florentino a se descriptam, *Palladii* Dialogo de vita S. *Chrysostomi* subnexuit, & statim Hæretici Angliæ, & Bataviæ eandem Epistolam tan-

quam a S. *Chrysostomo* exaratam multiplici prælo excuderunt, eamque adversus Transubstantiationis dogma, Catholicis objecerunt. Non desuerunt quidem pereruditi Orthodoxi Theologi, qui hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum sagacissimis observationibus illustrarunt, quibus Heterodoxorum ora obstruerent, & S. *Chrysostomum*, quem authorem istius Epistolæ esse autumabant, Transubstantiationis dogmati minime adversari demonstrarent; at felicius præ cæteris nodum istum dissolvit doctissimus noster Pater *Michael Lequien*, qui postremam & castigatissimam Operum S. *Joannis Damasceni* Editionem nuper adornavit. Is quippe dissertatione tertia Damascenica multis momentis evincit, hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum non esse exaratam a S. *Joanne Chrysostomo*, sed a quodam recentiore Scriptore, qui Nestorianæ Hæreseos patronus erat, & post Synodum Chalcedonensem scripsit. Certe constat, neminem Damasceno antiquiorem hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum laudasse, cum tamen expressissima habeat adversus Eutychianos, aliosque unius naturæ in Christo, necnon unius voluntatis & operationis assertores. Hanc, inquam, Epistolam non laudarunt Concilium Œcumenicum Chalcedonense, sexta Synodus generalis contra Monothelitas celebrata, non Lateranensis sub Martino I. non *Theodoretus*, non *Leontius* Bizantinus, non *Anastasius* Sinaita, non *Maximus* Confessor, non *Nestorii* vindices, non cæteri denique, qui alia S. *Chrysostomi* non sic diferta protulerunt testimonia. Perperam igitur hæc Epistola ad *Cæsarium* Monachum tribuitur S. *Chrysostomo*, ac proinde injuste conqueruntur Hæretici, quod cum aliis ejusdem Sancti Doctoris genuinis Epistolis edita non sit.

Ad eandem suppositiorum S. *Joannis Chrysostomi* Operum classem ablegari quoque debent quatuordecim *Homiliæ* in Evangelium Marci, & sex ex *Homiliis* in *Genesim*, videlicet *Homiliæ* prima, secunda, & tertia in Caput secundum *Genesim*, & tres aliæ *Homiliæ* in Caput tertium ejusdem libri *Genesim*. Denique, Opus in *Matthæum*, quod vulgo *imperfectum* dicitur, quia non ad finem usque Evangelii *Matthæi*, sed ad Caput dumtaxat vicessimum quintum productum est, S. *Chrysostomum* non habet parentem; tum quia nec ejus styli, nec doctrinam sapit; tum quia etiam plurima continet hæretica dogmata contra Consubstantialitatem Filii Dei cum Patre Eterno, contra Divinitatem Spiritus Sancti, & adversus validitatem Baptismi ab Hæreticis collati. Sunt tamen quidam eruditi viri, quos inter recensentur *Sixtus* Senensis, & *Savilius*, qui existimant, hæc hæretica dogmata, quibus respersum est Opus istud *imperfectum* in *Matthæum*, fuisse ab Hæreticis interpolatoribus in illud intrusa, idque probant, primo, quia manscripta quædam vetustissima nihil hujusmodi errorum contineant, sed alia manu prædicti illi errores ad marginem descripti sint. Secundo, quia iis ressecatis, & expunctis erroribus, nihil in textu hujusmodi, & mutilum appareat, sed plenius fluat

oratio; quod quidem argumento est, hæc hæretica dogmata isti Operi esse affuta. Verum, missis illis conjecturis, standum est communi sententia Theologorum, & disciplinæ Criticæ peritorum asserentium, hoc Opus imperfectum in Matthæum non esse S. Joannis Chrysostomi factum. Plura de Operibus Sancti illius Doctoris legi possunt apud Labbeum in dissertatione de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, apud Natalem Alexandrum in quarto Ecclesiæ sæculo (a).

„(a) Recensendam hic arbitror esse editionem operum omnium S. Joannis Chrysostomi elaboratam a viro clarissimo D. Bernardo de Montfaucon, quæ Parisiis integra prodit anno 1738. In ea vero præter cetera, quæ sunt in prioribus editionibus meliori ordine disposita, comparant primum Homilia XI., quas ipse sub Homiliarum Constantinopolitanarum nomine exhibet, & multa ex illis eruit ad vitam S. Chrysostomi, quam adornavit, opportuna. Adjecit alias tredecim Homilias a Cl. Gualtero Taylor Anglo ad se transmissas, quamquam earum nonnullas ipse spurias arguit. Demum mentem suam prodit de epistola ad Cæsarium Monachum, quam Chrysostomo adjudicat, ex eo potissimum, quod nihil sit magis a stylo Chrysostomi alienius. Ceterum eandem epistolam ad Codicem Florentinum iterum exactam Vir Cl. Scipio Maffejus transmisit ad Jacobum Basnagium, novum editorem veterum lectionum Canisii adjecta epistola, in qua nonnulla illustrat, ac demonstrat latinum interpretem non satis accurate græcum expressisse; sed & ex eodem latino interprete nihil inferri adversus transubstantiationis veritatem demonstrat. Quin & græcum fragmentum affert, facile ejusdem epistolæ, ut ex verbis utrinque respondentibus apparet, in quo duarum naturarum in Christo unio aliunde deductis similitudinibus probatur; nihil vero tangitur de unione panis & Christi in Eucharistia, unde in latino textu petitur similitudo, & ansa Protestantibus data est Chrysostomum sibi vindicandi. Demum mendacit arguit sparsum inter eruditos rumorem solum illud latini Codicis Florentini epistolam illam latinam continens iussu Principis dilaceratum esse, nec amplius extare. His Maffejii Notis in nonnullis usus est Basnagius; alia dissimulavit. Qua mala fide stimulatus Maffejus iterum (nam typis excusam Epistolam cum notis miserat) vulgavit in opere *Historia diplomatica excusæ*, ut præfertur, Mantuæ anno 1727.

D. Quæ dote S. Chrysostomus inter ceteros aëros sui sæculi Scriptores præsertim emicuit?

M. Omnes sui sæculi Scriptores S. Chrysostomus eloquentia & perspicuitate superavit. Habet siquidem dictionem nativam, nitidam, puram, splendendam insuper, ac fluentem, cum admirabili docendi facultate conjunctam, qualis nulli unquam, vel Græcorum eloquentissimo, conrigit. In explicandis Christianæ Religionis dogmatibus sese auribus populi accommodat, & pio quodam juveni studio, ad illius captum dimittit

oratiois habitum. Præcipuas Christianæ Moralitatis quæstiones magna vi, mira eruditione, & appositis exemplis uberrime tractat. Nihil ejus instructionibus facilius, descriptionibus, & narrationibus, quas passim interserit, nihil jucundius, atque ad persuadendum nihil efficacius ejus argumentis, quorum claritate, dulcedine, & amœnitate, Lectorum animos quocumque vult, flecit, movet, rapit, & delectat. In exponendis sacris Scriptoribus sistit potissimum in sensu literali, & consulto abstinet a sensibus Mysticis, & Allegoricis, quibus plus æquo indulserant interpretes, & Verbi Divini præcones, qui ipsum præcesserant. In Homiliis, quas habebat ad populum, post genuinam textus Scripturæ sacræ interpretationem, solebat in rem suorum auditorum aliquod morale proponere argumentum; illudque late explanare. Quam methodo salutis animarum utilissimam in omnibus suis Homiliis observat Sanctus ille Doctor.

D. Satis de S. Joanne Chrysostomo. Paululum nunc differamus de Patribus latinis, & in primis vitam S. Hieronymi, quem omnigenæ eruditione præditum fuisse, sæpius audivi, paucis describere, ac varia ejus recensere Opera.

M. Hieronymus anno cccxxx. sub Consulatu Bassi, & Ablavii, teste Prospero in Chronico, natus est Stridone, sito in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus Oppido, Patrem habuit Eusebium, a quo primis & teneræ adhuc ætati congruis literis, sanctissimisque moribus imbutus, Romam missus est, ubi sub Donato literas Græcæ & Latinas, omnesque sæculares didicit disciplinas, ibidemque per sacrum Baptisma Christo in fide renatus est, inde incredibili discendi studio incensus Galliarum Oras, in quibus florebat viri fama celeberrimi, lustravit; Romamque reverfus, insignem, variisque voluminibus locupletem Bibliothecam sibi paravit, ut per totum vitæ suæ cursum lectioni & orationi incumbere posset. Quocirca suam secum Bibliothecam deferens, velut alter Bias sua secum omnia portans in Orientem secessit, & postquam non nihil temporis Antiochiæ mansisset, in vastam Syriæ solitudinem sese contulit, in qua permansit quadriennio, ibique Hebraicam didicit linguam, sicut ipsemet testatur in Epistola IV. ad Rusticum. Dein e sua solitudine, ob gravem ab Arianis in Catholicos excitationem persequutionem, exire coactus Antiochiam rediit, ubi tricesimum jam percurrens ætatis suæ annum a Paulino Antiocheno Episcopo Presbyter factus ordinatus. Post brevem Antiochiæ moram, suum in Bethleemico solo domicilium fixit. Exinde tamen, post auditum aliquandiu Gregorium Nazianzenum Constantinopolitæ degentem, quem suum præceptorem appellat, Romam ad Damasum Papam accessit, a quo perbenigne exceptus est, dignisque ab eo judicatus, quem ad emergentia fidei, Religionisque dubia discutienda adiutorem sibi retineret. Hac sibi a Sancto Pontifice demandata Provincia Hieronymus summa cum laude & Ecclesiæ utilitate perfunctus est. Sed mortuo Damaso, rediit Hieronymus in Orientem, & transiens per Ægyptum & Antiochiam,

chiam, ad selecta tandem sibi que charissima Bethleemica loca feliciter appulit. Ad eadem sanctissima loca celebres femina Paula, Eusebium, & Melania, quas Hieronymus Romæ degens ad sanctioris vitæ propositum duxerat, e vestigio pietatis ergo convolarunt, totque sive viros, sive mulieres ad idem austeræ vitæ genus suis exemplis pertraxerunt, ut Paula tria pro mulieribus Monasteria, & unum pro viris ibidem extrui curaverit. Tum Hieronymus votorum suorum compos vitam in Monasterio egit, corpus suum vigiliis, & abstinentiis macerando, & indefessis studiis, componendive in sacram Scripturam Commentariis unice intentus. Sic totus libris affixus tantam sibi rerum divinarum eruditionem comparavit Hieronymus, ut in obscuris sanctorum voluminum difficultatibus S. Augustinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multique alii passim per Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Palestinam & Græciam eruditissimi Episcopi ipsam per literas consulenter. Demum meritis plenus obiit Hieronymus nonagenarius laboribus & senio confectus anno Christi ccccxx. Si plura de vita S. Hieronymi scire desideres, leges vitam Sancti illius Doctoris, quam gallice descripsit doctissimus Pater Joannes Martianeus Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri.

D. Cui potissimum studio sese addixit Hieronymus suo in Bethleemico solo solitarius hærens?

M. Hieronymus in sua solitudine degens non solum multa edidit Opera Exegetica, quibus Scripturam sacram mire illustravit, verum etiam Opera scripsit Polemica, quibus Hæreticorum sui temporis errores prostravit, & Catholicam Fidem asseruit ac vindicavit. In primis, composuit librum contra Helvidium, qui impie docebat, Beatam Mariam, Christum peperisse, Virginem, sed postea cum Josepho marito suo congressam alios peperisse filios, suæque virginitatis post partum jacturam fecisse. Præterea, calamum suum acuit Hieronymus in Jovinianum Romanæ Urbis Monachum, qui inter alia assererat, primo, virginitatem non præstare matrimonio. Secundo, eos, qui semel erant baptizati, in peccatum relabi, & acceptam in baptismo justitiam amittere non posse. Tertio, abstinentiam a quibusdam cibis inutilem prorsus esse prædicabat. Postremo, æqualem in omnibus Sanctis fore Visionem Beatificam affirmabat. Hos Joviniani errores summa ingenii vi, & eruditione profunda duobus libris confutavit, ac jugulavit Hieronymus. Scripsit quoque S. ille Doctor librum adversus Vigilantium natione Gallum, qui Cleri Cœlibatum improbat, Martyrum Reliquias colendas esse negabat, ad eorum sepulchra vigilare superstitiosum, & inutile esse ajebat, cereos in Ecclesiis accendi, lucente Sole, ridebat, Monachorum in solitudine vitam vituperabat, & alios id genus spargebat errores, quos S. Hieronymus fide, & acriter in hoc libro refellit. Montanistarum errores postea infectatus est in Epistola LIV. ad Marcel lam. Ad confutandos Luciferianos unum Dialogum composuit. Adversus Pelagianos tres Dialogorum libros edidit. Aliquas literarias concertationes ha-

buit cum S. Augustino, sed vehementius, majorique animi æstu cum Joanne Episcopo Hierosolymitano, & cum Rufino, occasione librorum Origenis, decertavit.

D. Potuitne Hieronymus in his Polemicis conscribendis Operibus occupatus, alios lucubrare libros?

M. Præter hæc Opera Polemica, quæ mox laudavi, edidit S. Hieronymus multa scripta Critica in libros Scripturæ sacræ, Commentarios in Prophetas, in Evangelium Matthæi, in aliquas Epistolas S. Pauli. Duas insuper sacrorum Bibliorum versiones latinas concinnavit, unam ad normam textus LXX. Interp. & alteram exactam ad Hebraici textus veritatem, qua versione tanquam authentica & vulgata a Concilio Tridentino approbata, etiamnum utitur Ecclesia latina. Antiquam versionem latinam, vulgo *Italicam* appellatam, S. Hieronymus correxit, purgavit, castigavit, græcæque fidei reddidit. Quamplures Epistolas Exegeticas, sive sacrarum Scripturarum expositiones, vel quæstionum, dubiorumque resolutorias, & alias de variis argumentis exaravit. Chthonicon Eusebii, plures Homilias Origenis, libros Didymi de Spiritu Sancto in latinum sermonem convertit. Vitas, seu Historias Sanctorum Monachorum Hilarionis, & Malchi descripsit, & Catalogum de Viris illustribus contexit, multaque alia egregia edidit Opera, quæ quinque tomis comprehensa, jam citatus P. Martianeus nova & accurata Editione publicavit, doctis Præfationibus & Annotationibus illustravit, atque genuina Opera ab Apocryphis accurato Criterio secrevit. Hanc itaque novam Operam S. Hieronymi consule Editionem, sed præcipue tomum V. ad cujus calcem P. Martianeus attextit Appendicem omnibus Scripturæ sacræ & librorum S. Hieronymi studiosis curiosissimam (a).

„(a) Diligentius præ Martiano editionem suam operum S. Hieronymi curavit Vallarsius, qui præter ea omnia a Parisiensi editore data, nova etiam quædam adjecit, ut epistolas nonnullas a S. Hieronymo sive datas, sive ex græco veritas. Novam etiam præfationem instruxit, in qua multa accurate investigat, ac præsertim ea, quæ hic traduntur de versione, ac emendatione librorum S. Scripturæ, quænam ex illis ex versione S. Hieronymi ab Ecclesia adoptata, quænam vero ex sola ejus emendatione Latine Italicæ accepta. Eo igitur docente liber Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, & duo libri Machabæorum ex Italicæ accepti sunt. Psalmorum liber ex postrema emendatione (bis enim emendavit) S. Hieronymi retinetur. Reliqui omnes veteris testamenti libri interpretationi Hieronymi debentur. Novum testamentum ex veteri Italicæ provenit.

D. Ex tot Operibus, quæ edidit S. Hieronymus, facile conjicio eum fuisse Virum eruditissimum, & omni doctrinarum genere absolutissimum.

M. Sic est, S. Hieronymus, omnium, qui olim sacras literas interpretati sunt, fuit longe doctissimus. Linguarum exoticarum tantam habuit peritiam,

ut Græcam, Hebræam, Syram, Chaldæam & Latinam, perinde, ac Dalmaticam vernaculam suam linguam calleret. Politioribus literis erat optime excultus. In Historia sacra, Ecclesiastica, & Prophana apprime versatus. Nullum Scriptorum genus, quod non delibaret, nulli Historici, nulli Poetæ, nulli Oratores, nulli Philosophi, tam Græci, quam Latini, quos ipse herculeo & indefatigabili studio nocturna non versarit manu, versaritque diurna. Ejus inter scribendum stylus purus ac tersus est, & teste Erasmo lib. 5. Epist. 19. cum ipso Cicerone certare videtur. Inter disputandum Hieronymus fuit vehementis ac præservidi Ingenii, suosque Adversarios, præsertim Hæreticos, acriter exagitavit, & Plautino sale defricuit. Denique, Hieronymus in Moralibus austerus, & in Criticis pertractandis quæstionibus accuratissimus fuit.

D. Quis est ille *Rufinus*, qui cum S. Hieronymo, ut modo dicebas, tanto animi æstu disputavit?

M. *Rufinus*, cognomine *Toranius* dictus, Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter fuit, qui vitam Monasticam professus Roma cum *Melania* in Orientem profectus est anno cccxi. & per viginti quinque annos in ædibus *Melaniæ* Hierosolymis permansit variis Operibus in publicum edendis intentus. Sed quod Origenis admirator esset, eorumque scriptis plus æquo tribueret, hoc primum cum Hieronymo ipsum collisit. Hac lis, quæ ante Rufini ex Oriente discessionem utcumque composita fuerat, acriter recruduit, postquam *Rufinus*, & *Melania* Romam, relicto Oriente, pervenerunt anno cccxvii. at enim *Rufinus* Romæ degens cepit Origenis Apologiam adornare, suamque versionem libri *Periarcho* Origenis, seu *de Principiis*, Romæ publicavit, cui Præfationem præfixit, in qua Hieronymus oblique, immo, aperte petebatur. Hanc Rufini Præfationem cum legisset Hieronymus, actutum Epistolam ad *Pammachium*, & *Oceanum* ordine lxxv. scripsit, in qua factam a Rufino Interpretationem libri *Periarcho* Origenis, uti perniciosissimam detestatur. Brevem etiam Epistolam ordine lxxvi. eadem de re ad Rufinum misit. Statim ac Hieronymi literæ *Pammachio* traditæ sunt, earum exemplar *Aproniano*, qui Rufino addictissimus erat, tradidit *Pammachius* Hieronymi, & Rufini communis amicus, easque *Apronianus* transmisit ad Rufinum, qui totus in furorem actus, duos e vestigio *Invectivarum* libros, qui inter Opera S. Hieronymi leguntur, scripsit, hisque non modo datam ad *Pammachium* Epistolam Hieronymi confutavit, sed etiam illius in Scripturam sacram Commentaria aculeatis censuris perstrinxit. Roma discedens Rufinus Aquilejam petiturus *Siricio* Papæ illisit, & a candido illo Pontifice extorsit Epistolas *formatas*, seu Communicatorias vulgo dictas, quæ erant publicæ velut testera, quibus in longinqua peregrinatione Orthodoxæ fidei professores ostendebantur. Sed post obitum *Siricii Anastasius* illius successor damnavit Interpretationem Rufini, qui ta-

men in gradu Presbyteri in Ecclesiâ Aquilejensi perstitit usque ad annum ccccix. quo anno Italianam vastante *Alarico*, in Siciliam cum *Melania*, ejusque familia venit, ibique mortuus est anno ccccix.

D. Præter illos duos *Invectivarum* libros, editæne Rufinus alia Opera?

M. Vertit e Græco sermone in latinum Rufinus Opera Josephi Judæi, Historiam Ecclesiasticam Eusebii, recognitiones, quæ S. Clementi Papæ tribuuntur, sententias Sixti Pythagoræ, sententias Evagrii Ponti, librum *Periarcho* Origenis, librum primum Apologiæ Pamphili, Orationes S. Gregorii Nazianzeni, Regulas Asceticas S. Basilii, & aliquot alia Opera græca. His versionibus a se adornatis Rufinus addidit Opera, quæ proprio Marte lucubravit, videlicet duos libros, quibus Historiam Ecclesiasticam Eusebii Casariensis continuavit, duos *Invectivarum* contra S. Hieronymum libros, quos jam memoravimus, insuper suæ doctrinæ Apologiam ad Anastasium Papam, Explicationem Symboli, Expositionem Benedictionum Patriarchæ Jacob; Commentarios in Prophetas Oseam, Joëlem, & Amosum. Circumfertur etiam sub Rufini nomine Commentarius in septuaginta quinque priores Davidis Psalmos, sed hunc Commentarium, in quo integræ periodi ex Commentariis S. Augustini in Psalmos, ex libris Moralibus S. Gregorii Magni excerptæ leguntur, Rufino, jure optimo, abjudicant eruditi Critici (a).

(a) De Rufini operibus nihil addendum facit, nisi quod omnium ejus operum collectio nova prodit Verona an. 1745. eodem curante Vallarsio, a quo nova editio operum S. Hieronymi procurata est. Duplici volumine, ut arbitror, absolvenda erat, verum ejus tantummodo primum vidi, nec audivi unquam se, eundem apexisse lucem. Prior ille opera a Rufino suo ingenio composita comprehendit, additur & appendix operum ejus nomine falso, inscriptorum.

D. Fuitne Hæreticus Rufinus, qui tam acriter S. Hieronymum exagitavit, & Origenem tanto animi ardore defendit?

M. Quamvis ultro fatear, Rufinum justa de causa a S. Hieronymo vapulasse, quod nimio erga Origenem, ejusque scripta amore, Censuras Romanæ Ecclesiæ meruerit, Pelagianæ Sectæ fundamenta jecerit, & gravissimorum dissidiorum causa fuerit; eum tamen Hæreticum fuisse, non ausim asserere; tum quia Rufinus etsi Origenem defenderit, errores tamen illi adscriptos semper repudiavit; tum quia etiam, ut optime observat Card. Norisius cap. 3. lib. 1. Hist. Pelagianæ, si Rufinus fuisset Hæreticus, neque S. Paulinus religiosam cum illo coluisset amicitiam, nec *Pinianus*, & utraque *Melania* illum in Siciliam adduxissent, nec ipse Rufinus in suburbano *Pineti* Monasterio juxta urbem degere potuisset. Quapropter verisimile putat Cardinalis Norisius, Rufinum errorum suspensionem, qua apud Anastasium Papam laboraverat, postea coram Innocentio I. Sum-

Sum-

Summo Pontifice, a se procul amolitur fuisse. Quin, doctissimus idem Cardinalis profert libellum, quo errores partim a se assertos, partim sibi, ut questus est, imputatos Rufinus condemnavit. Gelasius quidem Papa Rufinum damnavit post mortem, quod de libertate arbitrii contraria Hieronymo sensisset, sed, sicut advertit Clarissimus *Pagius* ad annum Christi cccc. hoc Gelasii Papæ decretum non pertinet ad personam, sed ad libros Rufini. Qua ratione damnati sæpe sunt, nullo sanctitatis præjudicio, viri moribus probatissimi. Ut ut est, non audeo Hæreticos dicam scribere Rufino, cui, ut nemo diffiteri potest, multum debet Ecclesiâ Latina, quod præcipuorum Authorum Græcorum notitiam, præsertim Historiæ Ecclesiasticæ ei gratificatus sit.

D. Veniamus modo ad S. Augustinum, qui tanquam Doctorum Aquila, & omnium Ecclesiæ Latinæ Patrum maximus vulgo audire solet.

M. *Aurelius Augustinus* Tagaste, Numidiæ urbe in Africa natus est, Idibus Novembris anno ccliv. non vero ann. cclv. ut putat Baronius. Patrem habuit *Patricium*, & matrem S. *Monicam*, quorum cura, & diligentia liberalibus disciplinis ita imbutus est Augustinus, ut adolescens factus, Grammaticam prius Tagaste, & Rhetoricam postea Carthagine, summa cum laude docuerit. Manichæorum, Carthagine degens, seductus erroribus, ac voluptatum inelcatus illecebris, Romam venit, clam Matre, ut Rhetoricam doceret. Inde a Symmacho urbis Præfecto Mediolanum ad eandem artem edocendam missus est, ubi pia mater *Monica* de illius salute multum sollicita, cum eum fuisset assecuta, nihil non egit, ut eum Cælo pareret; & a Manichæorum retraheret erroribus. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus conversionem Augustini inchoavit, eamque multum promovit *Simplicianus* Presbyter eruditus, qui postea in locum S. Ambrosii in Sede Mediolanensi successit. Ab hoc *Simpliciano* Presbytero didicit Augustinus *Victorini* magni cujusdam Oratoris conversionem, item duorum Aulicorum, quorum exemplis incitatus Augustinus, & cælesti voce monitus, ut legeret Epistolas S. Pauli, sic repente his perleclis immutatus est, ut mundo nuncium remittens totum sese Deo dederit. Magnum sane victricis gratiæ, quæ tarda molimina nescit, & quam ipse contra Pelagianos pro aris, ac focis defendere debebat, monumentum! Anno trecentesimo octogesimo septimo Augustinus, cum annum ætatis suæ tricimum tertium necdum complevisset, juxta communem eruditorum sententiam, baptizatus est die vicefima quarta Aprilis, Sabbato Sancto. Post obitum Matris suæ *Monicæ* ad Ostia Tiberina, melioris vitæ desiderio accensus Augustinus, ad proprios lares rediit, & sub finem anni cccxxxviii. Africam appulit. Meditationi Legis Dei, jejuniis, & orationibus cum per triennium Tagaste, una cum suis amicis vacasset Augustinus, Hipponem se transtulit, ubi urgente Ecclesiæ necessitate, & flagitante populo, a *Valerio* tunc Hipponensium Episcopo, Presbyter est ordinatus anno cccxci. & paucis ab hinc annis,

hoc est, anno cccxcv. Augustinus, ne ab aliis raperetur Ecclesiis, vivente adhuc *Valerio*, consecratus est Episcopus Hipponensium a *Megalio* Calamensi, Primate Numidiæ cum aliquot Episcopis Catholicis, assentiente Primate totius Africae Episcopo Carthaginensi. Quamvis autem hæc Augustini ordinatio esset contra Canones Concilii Nicæni, nihilominus omnium calculo probata est, quoniam hæc dederat Ecclesiæ Augustinum. Hac nova dignitate auctus, sive populum docendo, sive Hæreticos Manichæos, Donatistas, Arianos, Priscillianistas, Pelagianos, & Semipelagianos confutando, & sanctissimæ vitæ suæ exemplis, ubique gentium claruit Augustinus, & postquam per quadraginta annos Episcopatum Hipponensem gessisset, tertio mense, quo Urbs Hipponensis a Vandalis obsidebatur, gravi febre correptus, anno ætatis suæ septuagesimo sexto intra paucos dies finem vivendi fecit anno cccxxx. ut scribit *Possidius* in ejus vita. Omnia Sancti Augustini Opera sedulo studio Patrum Benedictinorum Congregationis Sancti Mauri ad MSS. Codices, & antiquiores Editiones castigata, varie illustrata, & in præclarum ordinem digesta, ac disposita fuerunt (a).

Quamvis pauca sunt, quæ adjici hic a me possunt de S. Augustino, adhuc tamen quædam occurrunt, nam postquam scripserat *P. Graveyson*, in Monasterio Gottwicensi repertæ sunt geminæ epistolæ S. Augustini, quarum una est ad Petrum & ad Abrahamum, altera ad Optatum, productæque sunt in lucem Viennæ in Austria an. 1732. ambæque enunciatae fuerunt a *Possidio* & a S. *Fulgentio* commemoratae, quin & alterius longum fragmentum recitat *Egyptus* in Thesuro, e S. Augustini operibus cap. 345. Ambæ demum istæ epistolæ Parisiis excusæ sunt edentibus PP. Benedictinis. In eadem epistola ad Optatum ambigere se demonstrat S. Augustinus, utrum anima in ista vita ex propagine, an sine propagine venerit.

D. Pergratum mihi faceres, si omnia S. Augustini Opera juxta seriem seu ordinem, quo in postrema Patrum Benedictinorum Congregationis S. Mauri Editione disposita sunt, velles impræsentiarum recensere, & ab Apocryphis discernere.

M. Recens editio Operum S. Augustini a doctissimis Monachis Benedictinis adornata, decem complectitur Tomos, quorum seriem, & librorum qui in ipsis continentur, ordinem tuis oculis, majoris claritatis ergo, subjiciam.

TOMUS PRIMUS

Ea continet Opera, quæ S. Augustinus juvenis, & nondum Presbyter ordinatus contexit, præmissis *Retractionum*, & *Confessionum* S. Augustini libris, qui præviæ cujusdam Præfationis locum tenere possunt. Isto autem ordine Opera S. Augustini in primo Tomo disposita sunt.

Retractionum libri duo.

Confessionum libri tredecim.

Contra Academicos libri tres.

De beata Vita liber unus.